



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 33. Quae scire debeat omnis Christianus

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

quod bonum & justum est . non ut placeant Deo , sed ut
 ea meritis jucunditate fruantur , quæ ex bonis operibus ema-
 nat . Quem laqueum viris spiritualibus eò subtilius amor sui
 tendere solet , quò res sanctior , & melior est . Quid tam
 sanctum quàm Dei mandatis obedire , Scripturas legere , in
 Ecclesia prædicare , frequentare Sacramenta , & ad altare
 Domini ministrare ? Hæc autem cupiditas laudis inquinare
 solet , & nisi cor suum omni diligentia custodierit homo ,
 omnis labor ejus irritus est . *Si linguis hominum loquar , &
 Angelorum , inquit Apostolus , 1. Cor. 13. 1. charitatem au-
 tem non habeam , factus sum velut as sonans , aut cymbalum
 tinniens .* Et si quis distribuerit in cibos pauperum omnes
 facultates suas , & tradiderit corpus suum ita ut ardeat , ni-
 si hoc purè fiat ob amorem Dei , nihil prodest . Simili modo
 Aggæus Propheta ait , *Agg. 2. 6. Comedistis , & non estis
 satiati : bibistis , & non estis inebriati , & qui mercedes congre-
 gavit , misit eas in sacculum pertusum :* quia nimirum nihil
 profunt opera bona , cum quis seipsum in illis quærit , &
 non Deum . Cum igitur naturæ semper & ubique seipsam
 quærentis fraudes & doli subtilissimi sint , omnes animi
 recessus perscrutari , & sollicitè cavere debemus , ne in prin-
 cipio , medio , & fine actionum nostrarum , aliqua ratio se
 immisceat proprii emolumenti , quantumvis sancta , & ho-
 nesta videatur . Viræ Christianæ disciplina hæc est , non quæ-
 rere , nec amare nisi quod Dei est , & odisse quod pro-
 prium est .

§. XXXIII. *Quæ scire debeat omnis Christianus .*

SCire debet omnis Christianus quæ sint præcepta divina
 & humana , ad quæ servanda quisque tenetur . Divina
 sunt illa quæ in Decalogo continentur itemque præcepta fi-
 dei , spei , & charitatis . Fides obligat omnes ad ea credenda ,
 quæ singulis fidelibus in Symbolo proposita sunt . Spe vitam
 æternam , & quæ ad eam obtinendam sunt necessaria nos
 consequi posse confidimus Dei gratiâ ; & nostra coopera-
 tione ; quæ omnia à Deo petimus , cum Dominicam ora-

tionem recitamus. Charitatis lege obstringimur Deum diligere super omnia & proximum sicut nos ipsos. His virtutibus perficitur homo : nam fides mentem illuminat , & dirigit , spes voluntatem ad eum erigit , charitas nos Deo unit. Est etiam præter prædicta præceptum sumendi Baptismum , & Eucharistiam , ac confitendi peccata , licet de his nihil Ecclesia præciperet. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto , non intrabit in regnum Dei : *Ioan. 3. 5.* & nisi manducaverimus carnem Christi , & biberimus ejus sanguinem , non habebimus vitam in nobis. *Ioan. 6. 54.* Pœnitentia autem à Deo illis parata est , qui baptismalem innocentiam supervenientibus culpis perdidierunt. Sunt denique humanæ leges ab Ecclesiastica , vel seculari potestate sancitæ , quas nosse oportet , ut illis , qua par est humilitate pareamus. Verum ad hæc præstanda nemo idoneus esse potest , nisi ab ejus mente ignorantiae tenebras lux vera discusserit sicut scriptum est , *Beatus homo , quem tu erudieris Domine , & de lege tua docueris eum , Psal. 93. 12.* Homo enim post peccatum sedet in tenebris , & in umbra mortis , bonumque vel malum non ex regula veritatis , sed ex sua cupiditate metitur. Divinum igitur auxilium implorandum est , ut qui jussit quod vult , det nobis quod jubet , dispellens caliginem , & sanans languorem ; expellens cupiditatem , & infundens charitatem , quoniam finis præcepti est Charitas , & qui verè Deum amat , omnibus mandatis ejus sine exceptione obsequitur.

§. XXXIV. *Interioris , & exterioris hominis differentia.*

NON de hoc tempore , non de hoc mūdo spes nostra est ; neque ad præsentis vitæ bona neque ad eam felicitatē , quam plerique mortalium sectantur , conditi sumus , sed ad æternam , quam Deus promisit , & homo nondum capit ; sicut scriptum est. *Quod oculus non vidit , nec auris audivit nec in cor hominis ascendit , quæ preparavit Deus iis , qui diligunt illum.*